

II. aliisque pontificibus. Sero tantum datae sunt relaxations *præviae* matrimonio contrahendo, et quidem ob gravissimas causas, quas suo loco recensuimus. Consequentia, quam deducit Nuytz, digna est egregio professore eiusque praemissis (150).

Quod si Paschalis II. dispensationem expetitam non concescit, non ex defectu id contigit auctoritatis, sed ex eo quod iudicaverit illis in adjunctis non esse faciendam; et in hoc ostendit auctoritatem suam.

Atque haec necessario erant diligentius expendenda, ut satis faceremus Nuytz, qui eo adeo abusus est ad tribuendum dispensationum ius civili potestati.

Caeterum ex hoc tempore ita invaluit haec disciplina, ut non aliae fere relaxations, quam coniugio *præviae* a Rom. pontificibus darentur, ut constat ex ea, quam in sequenti seculo Innocentius III. Othoni IV. imperatori dedit, aliisque, quas antea recensuimus.

Hic proinde redit argumentum, quod ita instauramus: si ad regiam imperialeme potestatem ius relaxandi leges matrimonium dirimentes spectaret, citra omne dubium principes nunquam passi fuissent, pontifices Romanos exclusiva ratione illud sibi vindicare, atque eo usi fuissent, quandoque in subditorum favorem, multo vero magis in proprium commodum, spectata *præcipue* summa interdum difficultate veniae a pontificibus obtainendae, eaque non raro aperte negata. Atqui tamen nunquam nec pro se neque pro subditis suis eiusmodi iure usi sunt principes, sed quoties opus fuit, ad apostolicam Sedem supplices libellos dederunt. Evidens igitur est eos agnovisse se nec ius istud aliquando habuisse, nec illud regiae auctoritati inhaerere. Contrarium nunquam evincent sive Launoius, sive eius gregales atque exscriptores falso eruditiois apparatu.

(150) Adeo eruditus est hic iuris canonici professor in Athenaeo Taurinensi, ut inter se card. Fleuryum cum ab. Fleuryo permiscuerit, ac Eugenium III. qui floruit aetate S. Bernardi, cum Eugenio IV. qui praefuit concilio Florentino, id est post aliquot secula floruit.

Restat igitur, ut, si quae datae sunt ab imperatoribus principibusque christianis relaxations ad legitime ineundum coniugium, aliud eae non habuerint aut habeant obiectum, quam impedimenta civilia atque civiles poenas, quae in transgressores legum constitutae sunt; verum hae nunquam vinculum attingunt circa quod civiles leges nihil possunt.

Exinde et illud inferimus, quod, cum potestas relaxandi ab impedimentis relativa sit ad potestatem eadem constituendi, novum robur vimque maiorem accipient, quae de auctoritate solius Ecclesiae ad exclusionem laicorum principum in superioribus articulis disputavimus in legibus matrimonium dirimentibus constituendis.

Atque haec de gravissimo hoc argumento sufficient.

ARTICULUS IV. — Causae matrimoniales, quae vinculum respiciunt Matrimonii christiani, perperam civili christianorum principum foro adjudicantur.

Quidquid hac de re De Dominis, Launoius, eorumque exscriptores Nestius, Tamburinus, Litta protulere, Io. Nepomucenus Nuytz in compendium redigit. Hic auctor, qui se catholicum profitetur, postquam Pius IX. eius scripta damnavit, novo opere edito, ac veluti appellatione facta ad concives suos damnatas doctrinas adstruere, ac ipsum Rom. pontificem docere catholicam veritatem ausus est. Ea omnia, quae ad quaestionem praesentem faciunt, verbum verbo reddentes vertemus.

Assero matrimoniales causas ac sponsalium pactum natura sua ad forum civile pertinere.

Matrimoniales eae causae dicuntur, in quibus in disputacionem venit vel matrimonii validitas, vel coniugum separatione relate ad distinctam solummodo habitationem, tum relate ad solutionem vinculi cum facultate novi ineundi coniugii.

Ut quaestio dirimatur ad quodnam forum huiusmodi causae pertineant, satis est hanc illarum definitionem inspicere. Ex data definitione patet non agi in his causis nisi de contractu eiusque effectibus.

Si oppugnatur coniugium ut nullum, ei opponitur impedimentum dirimens, quod exhiberi nequit, nisi constitutum sit vel a natura, civili lege idem recognoscente, vel ab ipsa lege civili, quae sola potest positiva ratione impedimenta huiusmodi constitutere.

Si de coniugum separatione agitur, tunc in controversiam veniunt solutio vinculi ac separatio habitationis, quae omnia a lege civili sancita sunt.

In hisce omnibus agitur aut de obligandis vi coniugibus ut cohabitent, aut de iisdem ad separationem cogendis, aut de separatione alterutri concedenda, altero invito.

Tandem ab his causis dependent effectus civiles.

Nimirum agitur de coactiva executione legum civilium.

Atqui civilium legum nemo potest executionem urgere praeter unum civile regimen, quod eas constituit et servat. Imperium non amplius foret unum, supremum, plenum, indivisible, si in executione legum suarum ab alia societate pendere deberet. Accedit quod executio coactiva esse nequeat negotium ad Ecclesiam spectans.

Ab iis, qui vellent harum causarum iudicium pertrahere ad forum ecclesiasticum, allegatur sacramentum. Ast sacramentum non aliud praeter coniugum gratiam effectum producit. Quoniam vero eiusmodi gratia non confertur a coniugibus invicem, sed utrique a Deo, de hac nulla movetur lis. Ergo locum hic non habet sacramentum.

Configitur pariter ad indissolubilitatem; verum et hoc frustra: siquidem indissolubilitas a naturali prius lege expedita sancitur a legibus civilibus, atque effectus est civilis coniugii. Igitur illius etiam executio ad forum civile spectat.

Adiicitur praeterea, quod debeat Ecclesia se in his immiscere ob conscientiae obligationem, ex qua coniuges cohabitare debent, neque se separare vel sola etiam habitatione possunt, absque gravi causa. Ita plane; verum in hunc finem habet Ecclesia forum internum, forum nempe poenitentiale.

Si conscientiae obtentu deberet Ecclesia se causis matrimo-

nialibus immiscere, rationis paritate deberet se ingerere causis etiam venditionis, locationis, testamentorum, verbo causae cuicunque; etenim quaenam causa fingi potest, in qua conscientiae vinculum locum non habeat? Attamen ipsa se in haec non ingerit, nisi per poenitentiae tribunal. Quod si dicatur indissolubilitatem coniugii iuris esse divini, in promptu responsio est; quod nempe etiam conscientiae vinculum, quod in caeteris quibusque causis reperitur, in divina lege fundetur.

Ast, inquiunt, si civile forum de validitate matrimonii aut de divortio diiudicat, periculum adest collisionis inter conscientiam ac civile iudicium: si iudex invalidum pronunciaret coniugium, quod Ecclesia habet ut validum, aut viceversa, illud validum diceret, quod invalidum dicit Ecclesia; infelices coniuges in foro civili ad id, quod est contra eorum conscientiam, convergentur. Quae quidem collisio evitaretur, si iudicaret Ecclesia, quia forum externum, et forum internum ab uno iudicio penderent.

Sed qui ita disserunt, rem funditus non expenderunt, aliquin agnoscerent eiusmodi collisionem vitari non posse. Fac in foro ecclesiastico ob falsas probationes aliumve errorem, iudicem declarare invalidum matrimonium, quod reipsa tale non est, aut e contra; coniuges sibi consci quod iudex erraverit in foro externo, iura quaedam haberent, quibus in interno conscientiae foro uti non possent.

Curia episcopal is dicet eos inhabitare posse ac debere; ast confessarius cui unusquisque coniugum seorsum manifestam facit veritatem denunciabit sententiam latam non esse iuxta veritatem, adeoque eosdem cohabitare simul non posse.

Iam vero in hac hypothesi quomodo coniuges rite se gerent? Si penes ipsos erit sententiam non exequi, exequi non debent; quod si in ipsorum potestate id non est, debent in conscientia acquiescere: quoniam aliter agere nequeunt, et iuxta rationem necesse est res tandem aliquando terminum habeant. Iam vero huiusmodi ratiocinatio aequa applicari potest casui in quo sententia a iudice civili denuncietur.

Interea, si quacumque ex parte oritur conflictus, eo melius patet iudicium ad quos spectat relinquere debere, nempe auctoritati civili.

Accedit quod ad Ecclesiam minime pertineat iudicare in foro externo sententia, quae per vim executioni mandanda sit, cum eius imperium sit in conscientias; ipsa limites suos transgreditur sic agendo, atque etiam amittit fiduciam, qua maxime eget. Si ipsa contenta esset iudicare in foro interno per suos confessarios, id nunquam accideret, quia qui ad eos recurrit, ille est qui vocem conscientiae experitur, atque utpote is, qui movetur animae suae salvandae desiderio, et cuius proinde interest pandere veritatem iudici seu confessario, cui se sistit, veritatem semper adamussim aperiet.

Et sane causae matrimoniales *semper* ad tribunalia civilia spectarunt. Quod si Ecclesia se in illas ingerere sagedit, id constigit tantum medio aevo, tenebrarum scilicet tempore, quo Ecclesia tot modis extra proprios fines egressa, fines civilis invasit imperii.

Quod si aliquis modo opponeret canonem XII. conc. Tridentini sess. XXIV. responderem similiter ac respondi canoni IV. Dico igitur aut canonem non esse dogmaticum, aut loqui de potestate, qua usa est Ecclesia ex concessione civili.

Quod vero diximus de causis matrimonialibus, ad causas sponsalium applicari potest; imo et a fortiori; in causis enim matrimonialibus pretextus aderat sacramenti, at in sponsalibus prorsus deest. In sponsalibus omnia sunt temporalia; temporalis est contractus, temporalis obligatio illam exequendi, temporalis est obligatio damnorum: « temporale itaque etiam ac civile » sit iudicium necesse est, quo de hisce rebus pronunciatur. »

Hactenus Nuytz (151); singula nunc breviter perpendenda sunt.

Assertio eius prima est, quod inspecta causarum matrimonialium

(151) Op. cit. *Il professore Nuits ai suoi concittadini*, cap. VII. 1. a n. 218. ad 219. At bene vapulat a cl. Margotti in op. *Processo di Nepomuceno Nuytz*. Torino 1852.

lium natura, illico appareat, eas natura sua spectare ad forum civile, cum agatur de contractu eiusque effectibus. Ast eiusmodi assertio est *falsa*; nam agitur de sacramento, cum quo contractus naturalis identificatur, cum matrimonium christianum nihil aliud sit quam contractus naturalis ad dignitatem sacramenti evectus. Cum igitur agatur de sacramento, causae matrimoniales natura sua ad illud forum exclusive pertinent, cui Christus demandavit sacramentorum suorum dispensationem, nempe ad Ecclesiam (152). Neque aequiparari potest contractus coniugalis institutionis divinae, ac omnino spiritualis cum contractibus quibus emitur bos, aut ovis, aut asinus.

Altera assertio, quod impedimentum dirimens non possit constitui nisi a natura, recognita a civili lege, aut ab ipsa lege civili, quae sola possit eiusmodi impedimenta constituere, est *haeretica* utpote contradictoria canonibus III. et IV. concilii Tridentini, atque ut talis notata et damnata est in dogmatica constitutione *Auctorem fidei*, in propositione LIX. pseudosynodi Pistoriensis, a qua auctor noster eam est mutuatus, quin aliud adiiciamus.

Tertia assertio, quod vinculi solutio, et separatio habitationis sint a lege civili sancitae, *falsa* est, si intelligatur auctoritate originaria potestatis civilis, et non de sola executione canonum; nam hoc excedit fines politicae auctoritatis, quae ad solutionem vinculi non sese extendit, utpote divini iuris, ut ostendimus; idem dic de separatione quoadtorum et habitationem, quae res conscientiae est, et a sola Ecclesia pendet eiusmodi sanctio.

(152) Hoc ipse vidit Calvinus, qui propterea, ut initio huius secundi libri adnotavimus, scripsit *Instit.* lib. IV. cap. 19. §. 37. « Ubi id semel obtinuere (pontificii) coniugalium causarum cognitionem ad se traxerunt, quippe res spiritualis erat profanis iudicibus non attractanda. » Id ipsum vidit Mirabeau celebris incredulus, qui in sua *Monarchie prussienne*, tom. VII. pag. 85. ex definitione concilii Tridentini concludit: « Si verum est matrimonium esse sacramentum, causae omnes matrimoniales unice spectant ad iurisdictionem Ecclesiasticam. Ecclesia est, cuius hierarchia pariter iuris divini est, quae debet statuere rationem iudicandi causas suas. Velle fingere diversa iura hierarchiae christiana, est ausus maximus potestatis publicae adversus positionem religiosam. »

Esto quod agatur de cogendis coniugibus, aut ad cohabitandum, aut ad se ab invicem separandos: non inde sequitur, hos meros civiles effectus esse, aut ad solum politicum regimen referendas leges, quae duo illa constituant, adeoque agi de legum civilium executione. Hae siquidem omnes ratiunculae sunt innixae quartae assertioni adversarii nostri, quae *haereticalis* est, atque uti talis non semel ab apostolica Sede confixa.

Haec autem quarta assertio est, quod executio coactiva sit negotium ad Ecclesiam non spectans. Porro, ut diximus, doctrina haec uti haereticalis proscripta est a Pio IX. in Brevi edito adversus auctorem nostrum, atque his verbis expressa: *Ecclesiam vis inferenda potestatem non habere* (153); proscripta item fuit a Pio VI. in allegata constitut. *Auctorem fidei* in propositionibus IV. et V. synodi Pistoriensis, quae ita se habent: - IV.
 « *Propositio affirmans abusum fore auctoritatis Ecclesiae trans-ferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam exten-dendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuatione et corde, tum etiam, multo minus ad eam perti-nere, exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis.*
 » Quatenus indeterminatis illis verbis: *extendendo ad res exter-riores* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum eius potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda. *Haeretica.* » - V.
 « *Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiec-tionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione. Quatenus intendat Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi, atque cogendi.* - Ex Bened. XIV. in Brevi *Ad assiduas anni 1755. primatis, archiepiscopis et episcopis regni Poloniae-inducens in systema alias damnatum ut haereticum.* » Omissoporro Brevi Bened. XIV. damnata iamdiu haec ipsa doctrina

(153) In cit. *Damnatione operis, cui titulus; Iuris etc.* die 22. Augusti 1851.

fuit a Ioanne XXII. in Ioanne a Ianduno, constitutione dogmatica *Licet iusta ut haeretica* (154). Et haec nobis adnotasse sufficiat adversus eum, qui se catholicum profitetur. Neque enim nobis in animo est hunc specialem errorem refellere, quod plures alii egregie praestiterunt (155), nec huius loci est.

Assertio quinta, quod sacramentum non alium producat effectum quam gratiam, id est, ex adversarii mente, quod sacramentum extrinsecum sit contractui coniugali, eique superveniat acceditaque, est pariter *falsa* atque a Pio IX. in suo Brevi his verbis damnata: « *Plura quoque de matrimonio falsa asse-runtur... Matrimonii sacramentum non esse nisi quid contrac-tui accessorium, ab eoque separabile.* » Et merito. Siquidem adeo intimum est in coniugiis christianorum sacramentum contractui, prout suo loco ostendimus, ut sine sacramento contractus ipse nuptialis nulla ratione subsistat. Adversarii idecirco

(154) Apud Raynaldum ad an. 1327. n. XXXII seqq. quibus prius Rom. pontifex confutat ex sacris litteris, ex SS. Patribus, et praxi ipsius Ecclesiae hanc, qua de agimus, doctrinam; demum n. XXXV. sic eam proscriptit: « *Ultimo quod Papa, vel tota Ecclesia simul sumpta nullum hominem quantumcumque sce-leratum potest punire punitione coactiva, nisi imperator donet eis auctorita-tem, velut sacrae Scripturae contrarios (hunc et quatuor alias praecedentes articulos), et fidei catholicae inimicos, haereticos, sive haereticales et erroricos;* » nec non et praedictos Marsilium et Ioannem (Iandunum), immo haeresiar-chas fore manifestos et notorios sententialiter declaramus; articulosque ac libros praedictos, nec non et quamcumque alias scripturam continentem eosdem; praedictos quoque Marsilium et Ioannem, ut haereticos manifestos et notorios, immo ut haeresiarchas potius reprobamus et sententialiter con-demnamus. Si quis enim doctrinam praedictam defendere vel approbare praeumpserset, cuiuscumque dignitatis, ordinis, aut status tanquam haere-ticus confutetur. » Viderit nunc *Nuytz* aut *Nuyts* (siquidem sibi nomen im-mutavit) num in horum censum ipse veniat.

(155) Cf. Mamachi *Del diritto libero della Chiesa* lib. II. par. II. cap. 5. §. 3. Bianchi *Dell' esterior polizia della Chieza*, tom. III. cap. I. §. 3. item cap. V. §. 2. et tom. IV. lib. II. c. 4. §. 1 seqq. Zacharia Dissert. XXVI. *Sulla potestà regolatrice della disciplina*, part. III. art. 2. in *Raccolta di dissertaz. di storia ecclesiastica*, tom. IV. pag. 397 seqq. Phillips *Du droit ecclésiastique et jurisdictionnelle*; item Margotti op. cit. *Processo di Nepomuceno Nuytz* §. VII. *Potestà della Chiesa*. Taparelli *Saggio teoretico di diritto naturale*, dissertaz. VII. §. III. n. 1482. *Potere coattivo della chiesa*, Roma 1855.

falsa hypothesi sublata, concidunt ea omnia, quae ipse superstruxit. « Dogma etenim fidei est, inquit Pius VI. in litt. ad episcopum Motulensem, ut matrimonium, quod ante adventum Christi nihil aliud erat, nisi indissolubilis quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit *unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum.* »

Assertio sexta, quod indissolubilitas coniugii christiani a naturali lege ut prius expetita sanciatur a legibus civilibus, atque effectus sit legis civilis, est *falsa* et *haeretica*; *falsa* quia a Deo ipso in coniugio protoparentum constituta fuit, ac demum a Christo ipso confirmata illis verbis: *quod Deus coniunxit, homo non separet*, ut declaravit conc. Tridentinum (156); *haeretica*, quia adversatur canonibus V. et VII. eiusdem concilii, quibus omnimoda matrimonii christiani consummati indissolubilitas adstruitur. Alioquin si indissolubilitas a sanctione legis civilis penderet, ab eadem penderet eiusdem dissolubilitas.

Assertio septima, quod satis sit Ecclesiae habere forum poenitentiale, sive internum ad causas matrimoniales discutendas ac dirimendas una cum congerie superstructarum consecutionum, est pariter *falsa* et *haereticalis*. *Falsa* quia est contra factum; *haereticalis* quia est contra ius. Itaque primo est contra factum; exploratum enim est Ecclesiam quovis tempore, etiam sub imperatoribus ethniciis, praeter forum conscientiae sive internum habuisse suum forum externum, in quo tum causae matrimoniales, tum reliquae omnes iuxta propriam uniuscuiusque naturam discutiebantur ac dirimebantur, executionique mandabantur, saltem prout rerum ac temporum adiuncta aetate illa patiebantur. Huius rei suppetunt documenta antiquissima in Tertulliano (157), in S. Cypriano (158), in canonibus apos-

(156) In *Doctrina de sacramento matrimonii* praemissa canonibus.

(157) *Apologet.* n. 59. « Ibidem etiam exhortationes, inquit, *castigationes et censura divina*. Nam et iudicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu; summunque futuri iudiciorum praeiudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, et conventus, et omnis sancti commercii relegateatur. » Ed. Rigalt.

(158) Ep. LV. ad Cornel. et Maur. « Nam cum statutum sit ab omnibus no-

tolicis (159), in concilio Antiocheno (160), et quidem quoad priora tria secula et quarti seculi initia; nam quoad secula in sequentia a nemine existentia eiusdem externi ecclesiastici fori iure in dubium revocari potest, in quo causae eae omni, quae necessaria est, auctoritate ac *formalitate*, quam vocant, una cum coactiva sententiae executione discussae sunt ac iudicatae (161); sed praeterea, ut diximus, haec adversarii assertio est *haereticalis*, quia impedit ius de fide assertum adversus Marsilium Patavinum, et Ioannem Landunum a Ioanne XXII. qui ipsorum errorum circa potestatem coactivam Ecclesiae in foro externo ut *haeresim* damnavit, ut constat ex recitatis eius constitutionis verbis. Hancque eamdem haereseos notam adversus eundem errorem inussit

» bis, et aequum pariter ac iustum, ut *uniuscuiusque causa illic auditatur*, ubi erit crimen almissum... oportet utique eos, quibus praesumus, non circum cursare... sed agere illic causam suam, ubi et accusatores habere et testes sui criminis possunt. » Et paulo post ibid. subdit: « Iam causa eorum cognita est, iam de eis dicta sententia est, nec censurae congruit sacerdotum mobilis atque inconstantis animi levitate reprehendi. » Ex quibus patet nihil deesse ad verum ac formale in foro externo iudicium; rei, testes, agitatio causae, sententiae prolatio, executio.

(159) Can. LXVI. « Episcopum de aliquo ab homine fide digno ac fidelibus accusatum operet vocari ab episcopis. Et si quidem occurrit, ac responderit; cum fuerit convictus, *poena definiatur*: sin vero vocatus non paruerit: vocetur iterum, missis ad eum duobus episcopis: si autem vel sic non paruerit, vocetur etiam tertio, duobus rursum episcopis ad eum missis: quod si etiam sic, aspernatus non advenerit; synodus *adversus eum pronunciet*, quae videbuntur, ne iudicium detrectans videatur lucrum facere. » Edit. Coteler. tom. I. *Patrum apostolic.*

(160) Can. V. ex Collect. Rom. Holstenii p. I. p. 229. et apud Harduin. *Acta conc.* tom. I. col. 595.

(161) Si quis cupiat haec documenta magna copia reperiire, audeat Bianchi op. cit. tom. III. lib. I. cap. 5. §. 2. n. 7 seqq. ubi etiam egregius auctor refellit Morinum, qui in insigni opere *De administr. sacram. poenitentiae*, lib. V. n. 26. totus in eo est, ut evincat per plura secula non fuisse in Ecclesia distinctum forum externum et contentiosum a foro interno ac poenitentiali. Cf. item tom. IV. lib. II. cap. 4. §. 1 seqq. ubi adversus Giannone ex *Constitutionibus apostolicis* ostendit ordinem, quem tenuit servavitque Ecclesia in puniendis delinquentibus. Cf. etiam Mamachi op. cit. *Del diritto libero della Chiesa*, tom. II. part. II. pag. 127 seqq. Sed quod magis ad rem facit adversus Nuytz, cf. Bingham auctorem protestantem *Origin. seu antiquit. ecclesiast.* vol. II. lib. V. §. 4. et rursum tom. IX. lib. XXII. cap. V.

Pius VI. in const. *Auctorem fidei* adversus Pistorienses, quin necesse sit eadem referre.

Nunc vero quod attinet ad congeriem consecutionum, uti vocavimus, quas adversarius argumentationi sua superstruxit, seu verius ex ea deduxit, satis est analysi instituta, eius paralogismos detegere.

Primus paralogismus est, ex nostra doctrina, id est ex doctrina catholica, sequi ob paritatem rationis, posse Ecclesiam se immiscere in omnibus contractibus, quia et hi conscientiae obnoxii sunt, cuius moderatrix Ecclesia est. Utique causae contractuum iudicio Ecclesiae subsunt; cum agitur de ethica, seu morali aut immorali illorum natura, seu ratione discutienda, cum Ecclesia non minus sit magistra in ordine ad fidem quam in ordine ad mores. Caeterum non inde sequitur parem esse rationem reliquorum contractuum, qui iniri solent in societate civili et contractus connubialis, qui habet praeterea rationem sacramenti, immo et cum quo una eademque res est, quod profecto in caeteris contractibus locum non habet, ut alia discrimina silentio premam (162).

Alter paralogismus in eo consistit, quod professor noster permisceat ea, quae *ex accidenti*, ut aiunt, contingere possent in quocumque humano iudicio, cum iis, quae necessario oriuntur ex collisione iurium. Si enim civilis codex aduersetur iuri canonico, ut saepe contingit, his praesertim temporibus, eiusmodi collisiones oriuntur ex ipsa intima rei natura. Finge probatam in Subalpino senatu fuisse legem de matrimonio pure civili; innumerae prope illoco collisiones obortae fuissent vi

(162) Ut pateat ex quo fonte hauserit Nuytz hanc doctrinam suam, non me piget hic describere verba Launoii, qui in cit. op. *De regia etc.* p. I. art. I.c. 9. haec habet: « Eadem est ratio contractus matrimonialis, quae venditionis, aut » emptionis. » Et iterum ibid. art. 3. cap. 12. ex illo principio infert illud ipsum quod deinde intulit eius exscriptor, quod cum clerici nullam potestatem habeant « in iis, quae per se cum ad officium naturae, tum ad officium communis tatis pertinent, sic ius non habent reddendi personas inhabiles ad utrumque » officium, quod ordinis mere naturalis est, nec de seipso ad supernaturalem » finem tendit. » Launoius autem id acceperat ab apostata De Dominis.

ipsius legis contrariae iuri seu legi Ecclesiasticae, et sic de pluribus aliis dici debet, quae longum ac odiosum etiam esset enumerare. Per accidens vero est, quod error circa factum contingat.

Tertius paralogismus professoris seu profligatoris iuris canonici in eo consistit, quod non modo non probavit, sed ostensum est esse falsum, quod ipse assumit, ad forum nempe civile spectare iudicium causarum matrimonialium. Nos eadem ratione potiorque iure concludere possemus: quandoquidem quacumque ex parte necessario oritur conflictatio; ergo debet iudicium relinquiri ad quem spectat, nempe ad iudices Ecclesiasticos, ut definivit Tridentinum.

Reliquas duas assertiones non moror, cum non sint nisi repetitiones eiusdem crambes de vi coactiva Ecclesiae; nec quidquam dico de gratuita illa affirmatione, immo falsa, quod *semper* causae matrimoniales ad tribunalia civilia spectarent, cum dicere debuisset *nunquam*; sed dura frons non erubescit. Sic etiam quod adiicit de usurpatione Ecclesiae tenebricoso medio aevo non est eius adinventum, sed desumpsit ex Launoio, qui suo ordine desumpsit ex apostata De Dominis, ex quibus deinceps alii exsiperunt ac ingeminare non erubuerunt, ut alias animadvertismus.

Sic neque novum eius est inventum, quod repetit ad obiectam canonis XII. Tridentini auctoritatem eludendam, nempe aut illum non esse dogmaticum, prout affirmaverat de canone IV. aut loqui concilium in suo canone de usu Ecclesiae ex concessione civili. Siquidem et haec mutuatus est Nuytz a magistris suis apostata De Dominis et larvato lutherano Launoio, quorum fidissimum constanter discipulum se exhibet. Licet vero in aliis regionibus iamdiu haec obsoleverint, ipse tamen adhuc obtrudit Subalpinis. Attamen utrumque assertum falsum est, ut patet ex censura sub nota *haereticali* inficta a Pio VI. in toties citata constitutione *Auctorem fidei* propp. LIX. et LX. synodi Pistoriensis.

Sed quod mirum est, refellitur Nuytz ab ipso Paulo Sarpi, qui in sua historia concilii Tridentini pro more suo, alieno ore carpens definitiones a concilio editas, cum pervenit ad can. XII.

scribit: « Absurdum fuisse visum politicis *constitui articulum fidei*, causas ad matrimonium spectantes pertinere ad iudices » ecclesiasticos (163). » Ergo cum hic canon editus est, omnibus persuasum fuit illum esse plane dogmaticum; quomodo igitur postea naturam immutavit, ut evaderet disciplinaris? Rursum: quomodo definit consilium sub anathematis interminatione causas matrimoniales ad iudices ecclesiasticos spectare, si principes huiusmodi revocando concessionem, ipsum canonem falsum reddere potuissent?

Tandem quae de sponsalibus addit, errorem continent in Bulla, ut diximus, Pii VI. iamdiu confixum; quia, etsi sponsalia sacramentum non sint, ad sacramentum tamen referuntur eique subiacent, ut suo loco exposuimus.

Interim ex hactenus discussis patet quam verum sit, eos qui non contenti limitibus illis, quibus civilis auctoritas continetur circa causas matrimoniales, vellent eidem tribuere, quod proprium Ecclesiae est, ad eamque exclusive pertinent, inniti assertionibus *gratuitis, falsis, erroneis, hereticalibus, iamdiu que ab Ecclesia proscriptis*; fierique nulla ratione potest, ut in eas non impingat quicunque idem propositum persequi velit.

CAPUT III.

De civili potestate principum infidelium relate ad Matrimonium.

ARTICULUS I. — Principes infideles ius non habent constituendi impedimenta matrimonium infidelium dirimentia, suisque legibus nullatenus vinculum attingere possunt.

Quamvis instituti nostri ratio postulet, ut de civili potestate loquamur relate ad matrimonium *christianum*, saepius tamen ob rerum nexum de coniugio etiam infidelium deque infidelium principum in illud potestate innuere aliquid debuimus. Revera

(165) Cf. apud Pallavicin. *Hist. conc. Trid.* lib. XXIII. cap. IX. n. 41.

de matrimonio christiano agi complete non potest, nisi etiam seposita sacramenti ratione, infidelium matrimonium in sua relatione ad civilem potestatem spectetur. Nos vero tum in hoc, tum in priore libro palam professi sumus ipsum infidelium matrimonium a civili lege quoad vinculum non pendere, nec dirimi posse: sed modo plenius atque directe haec sententia vindicanda est.

Haud ignoro plerosque sive theologiae moralis institutores, sive iuris utriusque interpres communi pene calculo docere posse principes infideles suis legibus irrita facere infidelium subditorum coniugia (1). Immo nonnulli adeo progressi sunt, ut ius istud infidelibus principibus tribuerint in suos etiam subditos fideles (2). Exinde vero collegerunt veluti corollarium in suo contentum theoremate etiam principes fideles hac frui potestate in fideles subditos; etsi postea concedant posse hoc illis ab Ecclesia ius adimi ac sibi soli vindicare; aut saltem principes fideles pro sua erga Ecclesiam pietate hoc ius in Ecclesiae favorem cessisse, ut suo loco vidimus (3).

Fateor, me nunquam potuisse huic sententiae acquiescere; scilicet de iure seu auctoritate principum infidelium sanciendi leges, quibus suorum subditorum infidelium coniugia nulla rediderentur. Multo vero minus potui animum adiicere caeteris recentis sive theologorum sive iurisperitorum placitis, ut ex

(1) Sanchez *De matrim.* lib. VII. disp. III. n. 5. Schmalzgrueber *Ius can.* lib. IV. tit. 1. *De sponsal.* n. 364. Carrière *De matr.* part. III. n. 349 seqq. Qui recensent alios auctores pro hac sententia.

(2) Sanchez loc. cit. n. 7. ubi aperte scribit: « Id vero monuerim, fideles subditos infidelibus principibus, utpote qui eorum oppida inhabitant, adstringi legibus eorum iustis irritantibus matrimonium in omnibus iis casibus, in quibus ad alias eorum leges tenentur. Quare si cum eo dirimenti impedimenta contrahant, erit nullum matrimonium. Quia ratio sacramenti superaddita matrimonio fidelium, non impedit in principibus potestatem impedimenta dirimentia statuendi. » Quam abusi sint Sanchezii auctoritate non pauci recentiores, satis notum est.

(3) Iterum Sanchez loc. cit. n. 2. Id ipsum docet Drouin *De re sacram.* lib. IX. cap. 1. §. II. *Dico 2 et 3.* aliisque passim, qui id inferunt ex generali principio de insita principatu auctoritate in matrimonia.